



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. LXXVI. De notis & stigmatibus in corpore personarum veneficio accusatarum repertis, utrùm sola faciant indicium ad torturam, & quibus indiciis concurrentibus. Et utrùm sufficiant ad ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

Quæst. & Resol. benefic. Cap. LXXVI. 127

tur quod, renuntians in favorem alicujus, ut ille vel alius renuntiet illud beneficium in favorem ipsius, vel alterius, puta nepotis vel amici, dicitur simoniace renuntiare, ut tradunt DD. in *Clem. unica, de rer. permur.*

Sed tamen conclusum fuit, nullam in casu proposito intervenisse simoniam, aut illicitam pactio-
nem. ¶ Quia de jure licitum est beneficium resignare alicui eâ mente, & intentione, ut Episcopus aut collator illud alteri conferat, dummodo super hoc non interveniat aliquod pactum, per quod imponatur necessitas collatori illud conferendi certæ personæ. Felin. in *cap. ad audientiam* 31. num. 3. *versic. quod autem, extr. de rescript.* ¶ dicens quod in istis prohibitis ex constitutione Ecclesiæ, si non intervenit pactum, non sufficit sola voluntas ad incurrendam simoniam: sicut videmus quotidie, quod in manibus Papæ fiunt renuntiationes, & conceduntur reservationes pensionum ipsis renuntiantibus; quamvis Papa non ignoret quod ambæ partes de hoc prius tractaverunt: quod Papa non tolerasset si illud simoniam contineret. Idem tenuit Rebuff. in *trakt. de pacific. possess. num. mibi 245. versic. non tamen est simonia.* ¶ Ubi dicit non esse simoniam, si quis constituat procuratorem ad resignandum purè & libère in manibus Legati, vel Ordinarii, & ad requirendum eum, ut conferat beneficium libère resignatum certæ personæ: quia hæc requisitio non imponit necessitatem Ordinario: & ita judicavit Rot. *decis. 2. de simonia*, apud Cassadurum. ¶ Quia verba illa, *ad obtinendum & petendum supplicationem*, non important necessitatem. Idem notavit Sanch. in *consil. moralib. lib. 2. cap. 3. dub. 36. num. 12.* ubi plures allegat: ¶ hoc ampliatis, etiam si resignans libère postea proponat Ordinario cui veller tale beneficium conferri.
¶ Et magis strictè pro decisione casus propositi addit Gloss. in *cap. unico, in verb. ex causa*, in primo notabili, quam sequitur Petr. de Ubaldis in *trakt. de permur. beneficior. part. ultim. num. 56.* Zerola in *prax. part. 2. in verb. renunciatio*, §. 3. Garc. de *benef. part. 11. cap. 4. num. 2.* qui dicunt quod permutatio beneficiorum fieri potest exprimendo, vel non exprimendo quod partes renuntiant ex causa permutationis.
¶ Præterea Doctores omnes in *dist. Clement. unic.* asserunt permutationem per se fieri, imò & de rigore faciendam esse per liberam, & puram resignationem compemutantium; illosque posse mutuo resignare beneficia, etiam præcedente tractatu de permutatione. Et quod non est opus exprimere titulum permutationis, dummodo resignationes hinc inde purè & libère fiant, cum per eas non sint ligatæ manus collatorum, & resignantes non teneantur exprimere causam resignationis; sed illa præsumatur de jure, ad hoc ut si resignatio compemutantis nulla, vel invalida declaratur, vel propter aliquod impedimentum non possit fortiri effectum, resignans possit ad beneficium resignatum redire: ut tradunt *ibidem* Cardin. Zabarel. *num. 4. 5. & 6.* Anchar. *num. 6.* Imola *num. 7. & 8.* Unde conclusum fuit, dictas resignationes validas esse, & legitimas; & ita fuit observatum.

CAPUT LXXVI.

De notis, & stigmatibus in corpore personarum de maleficio accusatarum repertis, utrùm solæ faciant indicium ad torturam? Et quibus indiciis concurrentibus, & utrùm sufficiant ad condemnationem.

SUMMARIUM.

- 1 Stigmata in corpore maleficarum reperta, faciunt aliquod indicium contra ipsas.
- 2 Stigmata sunt in parte quæ sensu omnino destituta remanet, ope demonis.
- 3 Refertur sententia mentionem faciens istorum stigmatum, lata in Tribunali Sanctæ Inquisitionis Avenionensis, anno 1582.
- 4 Fabricenses qui olim dicerentur, & quæ illis stigmata inuri solerent.
- 5 Ex signo alicujus impresso, desumitur argumentum domini ejusdem.
- 6 Ex solo impressi stigmati indicio, nisi alia concurrant, iudex non debet reum torquere.
- 7 Indicia delicti quæ dicantur levia, quæ gravia, & quæ gravissima.
- 8 Indicia delicti quæ dicantur proxima, & quæ remota.
- 9 Indicium stigmati non est proximum, sed remotum.
- 10 Stigmata à maleficis demon quandoque transferri, vel in totum auferri.
- 11 Indicium stigmati non est grave, nec indubitatum, & in eo sæpe Chirurgi decipiuntur.
- 12 Sententia lata ex relatione peritorum, potest quandocumque retraheri per alias probationes.
- 13 Refertur historia cujusdam malefici, in quo Chirurgi valde discordes fuerunt.
- 14 Ex stigmatibus cum aliis adminiculis potest deveniri ad torturam.
- 15 Tortura magna, vel parva infertur propter gravitatem, aut levitatem indicatorum.
- 16 Concurrente mala fama inquisiti cum stigmatibus, potest deveniri ad torturam.
- 17 Ex solis stigmatibus nunquam deveniri potest ad condemnationem.
- 18 Præsumptio quæ oritur ex stigmate, non est violenta, contra Bodinum.

Sæpius in sancto Inquisitionis tribunali occurrunt quæstiones circa notas, aut stigmata in corporibus maleficorum, seu maleficarum reperta: quæ ad tria capita reducantur. Primò, utrùm tales notæ indicium aliquod faciant. Secundò, utrùm sufficiant ad torturam. Tertiò, utrùm ex illis notis & stigmatibus, oriatur sufficiens & satis violenta præsumptio ad condemnationem. Quibus controversiis satisfacit per sequentes conclusiones.

Prima. Nullum est dubium, quin ex hujusmodi stigmatibus in corpore maleficarum repertis, oriatur indicium, seu præsumptio aliqua maleficii. Quia cum demon ex permissione divina applicando activa passivis possit, & soleat notas hujusmodi corporibus illorum imprimere, qui se ejus potestati supponunt, ut quotidiana docet experientia: inter va-

rias præsumptiones, & indicia huiusmodi tam gravia delicti, qualis est conversatio cum maleficis, defectus lachrymarum, defixio oculorum in terram, crucis fractura vel totalis defectus in rosario Gloriosissimæ Virginis Mariæ dedicato, cum similibus; numeratur etiam, & non immerito, inustio, seu impressio stigmatis: ut nos in diversis personis impressum vidimus, & nominatim in quadam muliere nuncupata Ludovica Dapport, quam anno 1615. ad brachium saculare remissam, publicè in Curia ordinaria præsentis civitatis ad ultimi supplicii poenam condemnavimus: cuius scelera præcedente strangulatione, ignis supplicio plecti mandavimus, prout

2 in effectu fuit concremata. † Ipsa siquidem ultra plurima indicia, probationes, & confessiones, recepta fuit in corpore notata quodam stigmatæ sensu carente, ita ut acu infixæ, velatis prius oculis, nulum planè doloris sensum demonstraret: quod de aliis similibus testatur Martin. Delrio *disquisit. magic. lib. 2. quest. 21. num. 187.* † Similiter & in sententia lata anno 1582. in Sancto Inquisitionis officio per R.P. Florum Provincium, tunc sanctæ fidei Inquisitionem, contra plurimos sortilegos, & veneficos, inter cætera hæc verba continentur.

Et ut ad tantam perfidiam & impietatem vos majori vinculo divinceret, notam vel stigma cuilibet vestrum veluti rei sue propriæ inussit. Quæ sententia refertur apud Delrio *disquisit. magic. lib. 5. text. 16. fol. 84.* unde negari non potest, quin adversus huiusmodi personas oriatur indicium, si dicto signo, vel stigmatæ notatæ reperiantur: cum ex eo censentur consensum præstitisse demoni notam imprimendi, tanquam argumentum domini propriæ personæ, quod in demonem transfulerunt: † ad instar stigmatum, quæ olim Fabricensium brachiis imprimebantur: Fabricenses enim erant qui fabricæ censiti seu adscripti, reperiebantur, & arma publica in diversis provinciis fabricabant, quorum brachiis stigmata, hoc est notæ publicæ imprimebantur, ut latitantes ex huiusmodi signo dignosci possent: *l. stigmata 3. Cod. de fabricens. lib. 11.* & ibi DD. maxime Lucas de Penna. † Et quemadmodum ex signo, seu marca cognoscitur quis sit dominus mercium, Bartol. in *d. l. stigmata*, & ex nota animalibus impressa cognoscitur quis sit illorum dominus, Mascard. *de probat. conclus. 1052. num. 3.* & ex armis, seu insignibus judicatur quis sit dominus, seu fundator capellæ, vel sepulchri, ex traditis supra *cap. 73.* Ita & nota illa præsumptionem dat contra reum, domini per eum in demonem translati. Maxime quia id sola naturali operatione, ut plurimum, fieri nequeat, sed demonis ope, propter insensibilitatem illius partis quæ doloris est expertus, dum clausis oculis, & tentatâ sæpius per diversas corporis partes acus fixurâ, solus ille locus sensu destitutus reperitur: quod ultra experientiam per nos, seu in nostra præsentia, & Reverendissimi Inquisitionis factam, refert Henric. Boquet, Doctor Burgundus, in suo *discursu des sorciers, cap. 44. in fin.*

6 Secunda conclusio. Non potest, nec debet iudex ad torturam ex hoc solo indicio devenire, sed solum concurrentibus aliis adminiculis. Pro cuius conclusionis corroboracione, † in primis supponendum est, indicia duplicis esse generis: quædam proxima, alia remota. Indicium proximum illud dicitur, quo posito, ponitur criminis effectus; & quo sublato, illius tollitur effectus, & quod respicit veritatem rei, & delicti immediatè per sensum visus, vel auditus, juxta subjectam materiam. Remotum est illud, quod non tangit directè delictum, sed illius circumstantias

Farin. *de indic. & tortur. quest. 36. num. 44. & seq.* Alia præterea adhibetur indiciorum distinctio: quædam enim sunt gravia, alia gravissima, alia levia. Levia sunt quæ faciliè à delicto abesse possunt: gravia, quæ frequenter contingere solent: gravissima verò, quæ frequentissimè & facillimè in delicto, de quo agitur, intervenire consueverunt. Idem Farin. *d. quest. 36. num. 49. & seq.*

Stigmatis indicium non est delicto proximum, sed remotum; cum non tangat directè delictum, nec directè concludat; sed tantum indirectè concurrat ad significationem delicti: non enim in omnibus qui hoc delicto convincuntur reperitur; sed in illis dumtaxat de quorum constantia demon dubitare poterat, sed constantibus non inurit. † Et hæc notas dæmon à carceratis nonnunquam in totum aufert, quandoque in aliam corporis partem transfert, ut notat Binsfeld. quem citat Delrio *lib. 5. text. 47. & 48. fol. 84.*

Prædictum similiter indicium non est indubitatum, nec per consequens gravissimum: sæpe enim deluduntur hominum judicia, & aberrant Chiurgorum sententiæ: dum alii notas istas sensu carceratis existimant, quas tamen alii non minoris in eadem arte experimenti, ac scientiæ, sensibiles esse tuentur. † Quod causæ est, ut super horum hominum relatione nullum certum fieri possit fundamentum: & generale est, probationis hoc genus, quod privilegium vocamus, non esse tantæ efficaciam, quin sententia ex peritorum iudicio lata retractari quæque possit, aliis peritioribus adhibitis. Pacian. *probat. lib. 1. cap. 47. num. 83. & seq.* qui plures alios Doctores allegat. † Et in effectu, cum anno 1600. quidam Joannes Grenier fuisset de crimine maleficæ, & sortilegii inquisitus coram Ordinario in Gallia: peritus fuit in ejus corpore livor, seu nota nullius acus infixæ & oblongæ dolore sentiens, & nullum emittens sanguinem, prout Chiurgus referebat: sed postea negotio ad Senatuum Parisiensem delatum, reperta quidem fuit in corpore inquisiti figura stigmatum: sed dum duobus Medicis Parisiensibus impo-
voris & notæ visitatio commissa fuisset, unus ex ipsis notam illam nihil aliud esse referebat, præter cutis albedinem ex aliqua ignis scintilla injecta procedentem, cum illam & vitæ & sensu plenam operirentem, cum illam videret partem illam corporis, in qua illa reperiebatur impressa, omni sensu carceratis existimasset: ita ut incertior Senatus per dictam relationem redditus, hominem illum à poena mortis absolutum, ad perpetui in monasterio servitium, & in eo detractionis, ac inclusionis poenam condemnatum dimiserit: ut refert Autum. ad *l. l. l. aruspex, Cod. de malef. & mathematic.*

Secunda verò conclusionis pars: quod concurrentibus aliis adminiculis devenire possit ad torturam, si stigma fuerit in corpore inquisiti reperiendum, probatur: Quia licet unum indicium remotum non sufficiat ad infligendam torturam, nisi aliis indicibus concurrentibus; si tamen alia concurrant adminicula, potest reus torqueri; maxime in istis gravibus & atrocioribus criminibus: veluti si inquisitus, fuisset ab alio malefico nominatus, qui in nocturno sagarum conventu vidisset; quæquam in eo non pauci larvati & incogniti essent, solent, ut dicunt rei de hoc delicto inquisiti, esse contra reum magna diffamatio, vel sortilegiorum tractatio, aut quid simile: † tunc enim potest ad torturam procedere magnam, vel parvam pro modo indiciorum. Peregr. *consl. 2. num. 105. & 106. lib. 2. Berlich. lib. 3. conclus. pract. par. 1. & 2. cap. 1. & 2. de process. in caus. venef. num. 153.* ubi licet notetur inquisitus

Quæst. & Resol. benefic. Cap. LXXVII. 129

16 in iustam, quâ inquisitus reperitur signatus, inter indicia beneficii referat: † tamen *num. 162.* concludit ad hoc ut indicia per eum proposita sufficiant ad torturam, requiri ut saltem aliquis mala fama, & sinistra suspicio beneficii concurrat: quæ tamen sola ad torturam non sufficeret.

17 Tertia conclusio. Solum stigmatis indicium non sufficit ad condemnationem. Hæc conclusio evidenter probatur ex præcedentibus. Cum enim probatum fuerit, hoc solum indicium non sufficere ad torturam inferendam, multò minùs sufficere poterit ad condemnationem. † Maxime cum non absolutè vera videatur Bodini sententia, qui *lib. 4. de monom. cap. 4.* presumptionem hanc vocat bene violentam, quamquam ipse fateatur ex ea sola ad condemnationem deveniri non posse: sed alias requirit præsumptiones & conjecturas, veluti si locus criminis penitentia ductus in articulo mortis inquisitum nominaverit. Unde indubitata est & verissima conclusio proposita.

CAPUT LXXVII.

Sententia declaratoria nullitatis professionis fieri debet per Ordinarium, unà cum Superiore conventus, in quo facta fuit professio: adeo ut commissio huiusmodi negotii non possit dari alteri, quàm Superiori principali; nempe Priori, vel Guardianò: nec sufficiat, si in hac causa processerit Subprior, etià uti à Priore deputatus; cum Subpriors, vel vicarii Guardianorum non sint in Ecclesiastica dignitate constituti. Quod R. P. D. Vicegerens Avenionis non habeat jurisdictionem in similibus causis. Sententiam super professionis nullitate latam, non posse transire in rem iudicatam. Novitiatus annus quamvis debeat esse continuus, & non interruptus; tamen potest compleri ante decimumquintum annum ætatis novitii finitum. Si tamen novitiatus integer non fuerit, nulla est professio ipso jure, adeo ut non sit opus sententia declaratoria.

SUMMARIUM.

- 1 Forma Concilii Tridentini super cognitione nullitatis professionis, præcisè servanda est, nec sufficit illam servari per æquipollens.
- 2 Commissiones sedis Apostolicæ non solent dari aliis quàm Guardianis, vel Prioribus conventus.
- 3 Soli Guardiani vel Priores conventuum constituti sunt in dignitate Ecclesiastica.
- 4 Nomen dignitatis debet intelligi de principali dignitate in terminis capit. statutum, de rescript. in 6. ibidem.
- 5 Gesta per delegatum non habentem qualitates requisitas in cap. statutum, de rescript. in 6. sunt nulla.

- 6 Subdelegatus debet esse in dignitate Ecclesiastica constitutus, quando eadem qualitas requiritur in delegante.
- 7 R. P. D. Vicegerens Avenionis, non potest sine speciali commissione procedere ad sententiam declaratoriam nullitatis professionis.
- 8 Citatio quæ fit initio litis, debet præcedere, & personaliter intimari.
- 9 Commissio super declaratoria nullitatis professionis, dari debet Ordinario, & superiori illius loci in quo professio facta fuit, & non aliter.
- 10 Sententia lata super professione, nunquam transit in iudicatum, nec similiter in causa usurarum, numer. 11. nec in causa matrimoniali, numer. 12.
- 11 Valet argumentum à matrimonio carnali ad spirituale.
- 12 Annus novitiatus debet esse continuus, & non interruptus; alias professio est nulla.
- 13 Sufficit annus novitiatus continuari, & compleri ante anni decimumquinti finem.
- 14 Annus novitiatus numerandus est à die quo novitius suscepit habitum, quamvis eo tempore nondum attigisset annum decimumquintum.
- 15 Professio est valida, quamvis interruptio aliqua intervenerit, si prius totus annus novitiatus fuisset completus.
- 16 Sententia lata ex falsa causa, nulla est; ita ut non sit opus ab ea appellari.
- 17 Quando novitiatus annus non fuit finitus, professio est nulla; & non est opus de super sententiam obtinere; servata forma Concilii Tridentini.
- 18 Professio emissæ ante completum annum novitiatus, nequidem valet tanquam simplex votum.
- 19 Novitius recedens etià non petita licentia, nullam incurrit irregularitatem ad Ordines, vel beneficia Ecclesiastica, secularia; vel regularia.
- 20 Annus novitiatus integer, & completus requiritur pro forma: ideo si non observetur, corrumpit actus ipso jure, etià sine declaratione.
- 21 Professio est nulla, etiamsi deficerent ab anno novitiatus dua, vel tres horæ.
- 22 Hoc non procedit in eo qui tenetur ex voto præcedenti profiteri religionem: potest enim profiteri non completo novitiatus anno, & ante 16. annum completum, secundum aliquos.
- 23 Ordinarius potest declarare nullam professionem emissam ante completum annum 16. absque alia commissione.

Variè sæpius occurrunt casus decidendi super validitate, aut invaliditate sententiarum, quibus professiones per regulares emissæ, annullatæ & irritæ declaratæ fuerint: in quibus diversimodè quandoque affirmativè, quandoque negativè, secundum varias facti circumstantias respondendum fuit.

Inter cæteros propositus fuit casus sententiæ declaratorię nullitatis professionis per Ordinarium, unà cum R. P. Subpriorē conventus latæ; quæ propterea subsistere non potuit, tanquam lata contra formam sacri Concilii Trident. sess. 25. cap. 19. de regular. ubi nominatim requiritur pro forma, quod declaratio nullitatis professionis fiat coram Ordinario loci, & Superiore regulari: quâ formâ non servatâ, corrumpit in totum processura: cum non sufficiat formam Concilii servari per æquipollens, ut fuisse